



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 58. Sermo Abbatis montis S. Michaelis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Sæcul. XV.
A.C. 1406.

que obedientiæ Oecumenicum (cum tale haud permitterent præsentis rerum circumstantiæ) bene tamen Concilium ex obedientia Benedicti convocaretur, atque in eo opportune caperentur consilia pro celebranda utriusque obedientiæ Synodo, in qua unionis, ac reformationis Ecclesiæ negotium omni studio promoveretur. Cum vero Universitas Benedictum tanquam Schismaticum, & Patriarcha Alexandrinus illum velut hæreticum fugillissent, Petrus de Alliaco totam reliquam sermonis sui partem refellendis binis hisce accusationum capitibus impendit, concludens, missis omnibus rationibus, quas pro asserenda subtractionis via in medium protulissent, nihilominus Benedicto obedientiam nullo pacto denegandam esse. Oratio ista tantopere offendit Universitatem, ut conventum mox egerit de castigando Petro Alliacensi deliberatura. Hic vero provocavit ad Regem; Equidem Joannes Paryus Universitatis causam in se suscepit defendendam: prævaluit tamen Petri Alliacensis appellatio.

§. LVIII.

Oratio Abbatis montis S. Michaelis.

Satis itaque perspectis iis, quæ Advocati in defensionem Benedicti proposuerant.

rant, Caussidicis quoque Universitatis ^{sæcul. XV.}
dicendi facultas data est. Horum pri- ^{A.C. 1406.}
mus, qui peroravit, Petrus Regis, alias
le Roye dictus, Montis Sancti Michaelis
Abbas fuit. Disserebat perquam copiose
de Auctoritate Conciliorum Generalium
supra Papam, de jure Ordinariorum in
conferendis beneficiis, & de summorum
Pontificum exactionibus. Postmodum
sermonem suum ad ipsum Regem convertens,
illum ad extirpandos hosce abusus, & ad
strenue resistendum Usurpatori, Ecclesiam
bonis suis exspolianti, adhortabatur. Tandem
neminem ob metum intentatæ excommunicationis
turbandum asserebat, quia Schismatico,
atque hæretico Pontifici non modo nulla
obediendi obligatio, sed eidem obsequi
crimen foret. Postridie, atque etiam die
tertia Petrus Plautus Ecclesiæ Parisiensis
ad Beatam Virginem Canonicus sermonem
habuit, ac posteaquam in hosce duos
Pontificiæ dignitatis Competitores
invectus fuerat, tandem subtractionis
viam amplectendam decidit, donec ad
totalem schismatis extirpationem
Concilium Generale convocari posset.
Idem summis laudibus extulit Regis
auctoritatem, quam *potestativam*,
atque *auctoritativam* nuncupavit; cum
econtra Pontificiam re quidem ipsa
supremam, simul tamen ministerialem

Sæcul. XV. lem esse dixisset. Quibus suam absol-
 A.C. 1406. vit orationem.

§. LIX.

*Refutatio a Philasterio Rhemensi
 Decano facta.*

Die sequenti sexta decima Decembris Rhemensis Decanus utrumque Abbatibus Montis S. Michaelis, & Petri Plauti orationem contrario diluit responso. Præprimis duplicem statuit potestatem, unam spiritualem, quam comparabat Soli, temporalem alteram, quam Lunæ similem dixerat; supponens, Christum utpote utraque insignitum utramque Divo Petro communicasse. Inde vero intulit, Pontifici dominium esse in bona temporalia Regum. Præmissa hac utriusque potestatis differentia, jurisdictionem earundem exponit, statuitque Regi integrum non esse, debitam summo Pontifici subtrahere obedientiam, cum nec Regi competeret eundem judicandi potestas: proin ad inducendam ejusmodi subtractionem requiri Synodum ab ipso met Pontifice convocandam, eoque Præsidente celebrandam, alias nullam fore: in tali Synodo Papam suo remittendum iudicio, & Principum auctoritate, si necessitas exigeret, ejusdem Synodi decreta